



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibvs Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

16 De obligatione restituendi qua[m] Vsurari[us] habet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

meretur. Quod si acceperint ad luxum, vel alios usus illicitos, aut vanos, teneantur restituere, si pater non habeat unde restituere possit usuras.

Item solent Auctores dubitare de genere accipiente dotem ab usurario locero. In quo dicendum est: si locer alia bona habeat, ex quibus usuras restituere, tunc conscientia potest retinere dotem; licet locer deinde iactus fuerit pauper: quod si non habeat, tunc gener non potest dotem retinere; si tamen bona fide acceperit, poterit retinere tantum ex dote, quantum erit necessarium ad uxorem alendam; quia huiusmodi alimenta sunt uxori debita.

Item dubitant Auctores, quid sit dicendum de his, qui mutant usuras? Verbi gratia, Caius mutauit pecunias Titio usurario, postquam eas repetere, & redditus tunc conscientia retinere? Respondetur, si Caius mutauerit pro extrema, vel gratia aliqua Titij necessitate subleuanda, potest retinere: si vero ad usus Titij usurarij illicitos, vel vanos mutauerit, tunc si Titius habeat alia bona, ex quibus possit usuras restituere, poterit retinere, quod si non habeat, non potest.

De obligatione restituendi, quam usurarius habet.

CAPVT XV.

QUÆRITVR, quid, quantum, & cui usuras restituere usurarius teneatur? Respondetur primò, eum teneri ad restituendum quicquid per usuram accepit. Secundo, omnes fructus rei fructiferae perceptos. Item quos ipse usurarius desit percipere negligentia vel culpa sua; quia per hanc negligentiam suam laesit eum, à quo rem fructiferam per usuram accepit & sibi imputare debet, quod fructus non percipere: eos enim dominus rei percipere potuisset. Si quaeras, an teneatur restituere fructus, quos percipit, quos tamen dominus rei non fuisse alioqui percepturus, vel ob negligentiam suam, vel ob casum fortuitum? Respondetur, teneri, quia satis est, quod sint fructus rei, & percepti ab usurario. Si secundo roges, an teneatur restituere fructus, quos desit percipere ob negligentiam suam; & quos etiam alioquin dominus rei non percipisset ob negligentiam suam? Respondetur, non teneri, nec ratione rei alienae teneri, cum nihil percipere, nec aliquid exister apud ipsum: nec ratione iniustae acceptiois, quia nullus fructus percipit, nec eos erat dominus rei percepturus. Tertio, usurarius tenetur omnes fructus rei fructiferae apud ipsum existentes restituere. Quarto, tenetur restituere omne damnum emergens. V. g. si mutuatarius vilius vendiderit rem suam, vel si conduxerit aliam domum, vel si acceperit aliquid sub usuris, vel solueret usurario usuras. Item tenetur usurarius restituere his, à quibus usuras accepit: quod si mortui sint, eorum heredibus, vel his, qui nomine ipsorum possint acquirere: quod si nec heredes exsint, pauperibus restituere. Item quandocumque mutuatarij sunt ignoti, siue incerti, tenetur pauperibus restituere.

De Usurario mentali.

CAPVT XVI.

QUÆRITVR, An usurarius mentalis teneatur restituere? Respondetur, certum esse apud Doctores, quandocumque nihil lucri est acceptum, ad restituendum non teneri, quia licet voluntas fuerit usuraria, & prode peccatum, nihil tamen est per usuram acceptum.

Difficultas igitur consistit, An teneatur restituere, quando est aliquid acceptum per usuram mentalem? Et notandum est hoc posse contingere, vt mutuator ultra sortem aliquid accipiat à mutuatario quadrupliciter. Primò quando

mutuatarius dat ultra sortem aliquid liberaliter, & gratis, non vi mutui, & mutuator etiam accipit, vt datum sibi gratis, & liberaliter: & tunc nulla est obligatio restituendi; quia nec est datum, nec acceptum ex vi mutui. Secundo, quando mutuatarius dat ratione mutui: nimirum quoniam ex signis, vel nutibus nouit mutuatorem velle lucrum ex mutuo, & ideo dat: vel dat, quia nouit alias non mutuatorem sibi, v. g. Caius mutuator aut dat, ne habeatur ingratus, aut ne alius cum mutuo indigne sit, teneatur sibi: & mutuator, v. g. Titius recipit vt datum ratione mutui, & tunc omnes continentur esse obligationem restituendi; quia datum, & acceptum est lucrum ultra sortem ratione mutui. Tertio, quando mutuatarius dat ratione mutui, vt diximus in secundo casu: sed mutuator Titius recipit bona fide, putans sibi dari gratis, & liberaliter: & tunc Titius quandocumque nouerit esse sibi datum ratione mutui, tenetur restituere eis, & fructus eius exstantes: si vero bona fide consumpserit, ad nullam tenetur restitutionem, si non fuerit inde factus ditor. Quarto, si mutuatarius det aliquid ultra sortem gratis, & liberaliter, credens Titium mutuatorem nihil lucri ex mutuo velle habere, sed Titius accipit animo, & intentione usuraria, nimirum ratione mutui, in hoc casu est tota difficultas. Sunt enim duae opiniones; prima alicui Titium usurarium mentalem non teneri ad restituendum. Ita Scotus in 4. dist. 15. q. 2. ar. 3. Ricardus eod. lib. & dist. ar. 5. q. 5. G. de eod. lib. & dist. q. 1. ar. 3. dub. 17. Angel. verb. restitutio. 1. ver. Usurarius. Siluester verb. Usura, 6. q. 3. Caietan. 2. 2. q. 78. ar. 1. Medin. de Usura, q. 4. ad secundum principale. Sotus lib. 6. de iustitia, qu. 1. ar. 4. Couarr. in Regula Peccatum, part. 2. in princ. nu. 4. Cardin. in c. Consuluit, de usur. & Clemen. Ex graui de Usur q. 24. Lupus Gemini de Usur. concl. 4. §. 2. nu. 51. Et probant, quia non tenetur debitor restituere id, quod debet, etiam si non sit paratus restituere, quando ei à creditore sit liberalis remissio debiti. Item contractans, & accipiens rem alienam, credendo inuitum esse dominum, non tenetur restituere si dominus erat volens. Item si ego accipiam rem tuam animo furandi, & tamen postea noui te mihi eam donare, quando eam accipiebam, non teneor ad restituendum eam.

Secunda opinio ait, Titium usurarium mentalem teneri ad restituendum: ita Innocent. Hostiensis. Ioan. Andr. abbas in cap. Consuluit, de Usur. Gloss. in cap. fin. de Simon. Laur. de Rodolph. de Usur. par. 2. q. 2. nu. 20. B. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 5. §. fin. Almayn. in 4. dist. 15. q. 2. Probant ex Batt. li. ff. de Donat. & Castren. in l. Alysenti, in princ. ff. de Donat. qui docent non esse veram donationem, quando quis ignorans soluit indebitum, dum tamen recipiens credat se accipere debitum. Deinde, quia donatio non perficitur, nisi acceptetur à donatario. Item in l. Si ego 1. ff. Si certum per. aperte dicitur, quod si volui tibi rem donare, & tu crederes eam tibi mutuo dari, non efficitur tua ante consumptionem; quia hoc casu intentio concedentis, & recipientis discordat. Item contractans quando ab initio est vitiosus, habet etiam vitiosum effectum.

In hac re opinio prima est probabilior, & ad argumenta in oppositum respondetur, satis esse, vt mutuator accipiat id, quod mutuatarius dat liberaliter & gratis: quia licet accipere intentione usuraria, vt lucrum ex mutuo: quia tamen nouit sibi dari gratis, & liberaliter, id etiam vt datum accipiat, & retinet sibi: solum argumenta probant, quod si receperit intentione solum usuraria, nec accipiat, vt datum sibi liberaliter, & gratis, teneretur restituere; quia donatio non valet nisi acceptata à donatario: & in hoc sensu loquitur secunda opinio.

Sed quid si Titius (inquies) usurarius non accipiat lucrum datum sibi à Caio gratis, & liberaliter; sed accipiat solum intentione usuraria, vt lucrum ex mutuo; tenebitur restituere ei, qui dedit, an pauperibus? Plerique ex Doctores secundae opinionis aiunt, eum esse obligatum ad restituendum pauperibus, non ei, qui dedit. Sed vetus est, quod Sotus, Siluest. & Caiet. aiunt, vel eum non teneri ad restituendum, vel debere restituere ei, qui dedit; quia eo ipso, quod

Titius